3

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

OEDEMATE

QVAM

CONSENSV ET AVTORITATE

GRATIOSI

MEDICORVM ORDINIS

IN

INCLVTA NORIMBERGENSIVM ACADEMIA

ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME IMPETRANDI

PVBLICE DEFENDET

FRIDER. THEODORVS SCHRECK

MAGDEBVRGENSIS

A. D. NOVEMBR. CIƆ IƆCCXXI

H. L. Q. C.

ALTORFII NORICORVM

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

PERILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS
PRVDENTISSIMISQVE

DOMINIS

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO
KRESS DE KRESSENSTEIN
AB ET IN KRAFFTSHOF ET REZELSDORF ETC.
PERILLVSTRIS REIP. NORIMBERGENSIS
SEPTEMVIRO ET PROTOPROVINCIALI

DN. IOHANNI CHRISTOPHORO
TEZEL
A KIRCHENSITTENBACH IN VORRA ET ARTELSHOFEN.

DN. IOHANNI SIGISMVNDO
PFINZING
AB ET IN HENFENFELD

DN. IOHANNI IOACHIMO
NVZEL
AB ET IN SVNDERSPVHL
DN. GEORGIO PAVLO POEMER

EIVSDEM INCLVTAE REIPVBLICAE
SENATORIBVS CONSVLARIBVS
ET PROVINCIALIBVS PER OMNIA MERITIS
DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS
OMNI OBSEQVII CVLTV ANIMIQVE SVBMISSIONE
AETERNVM DEVENERANDIS

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

D. D. D.

AVTOR.



PROOEMIVM.

QVisquis medicinam ægrotis factitare & malis illorum ſuccurrere profitetur, næ is incredibile onus & vix humanis humeris perferendum ſuſtinet. Ne iam, quæ honeſtos medicorum labores amaros ſæpe ipſis reddunt, recenſeam ineptiſſimorum hominum intempeſtivos ſtrepitus, &, quo ſunt indoctiores, impudentiora iudicia: ne ὁμοτέχνων callida ſæpe odia & obtrectactiones exponam, quæ magno elegiarum volumini numquam defecturam materiam ſuppeditare poſſent: illud tantum attingam, quod ipſa ars talis ſit, quæ nec ad unguem certa morborum, eorumque cauſarum indicia ubique habet, nec ſufficienter cognitorum morborum ad ſanitatem certe ſuffectura præſidia & remedia invenit.

Mirabuntur multi Baglivum, ſidus Italiæ Medicorum etiam poſt fata fulgentiſſimum, exclamantem: O quam difficile eſt curare morbos pectoris! O quam longe difficilius illos cognoſcere! *Sed deſinent mirari, ſi tam mirificam multitudinem cauſarum, qui morbos continent, & poſt obitum inſtitutis corporum inciſionibus innotuerunt, in obſervationum medicarum voluminibus adnotaverint. Quot epilepſiæ, quas vel centum medici & ſexcenti medicaſtri ſuis arcanis, ſpecificis & Herculeis medicinis tentaverunt, incuratæ manent, & poſt mortem demum cauſas ſuas, de quibus forte nemo cogitaverat, diligenti ſcrutatori oſtenderunt? Non iam hydropes, non podagras, non reliquam ſonticorum morborum catervam recenſebo, ſed dicam tantum quantilla res videatur tumor partem aliquam corporis obſidens? & tamen dantur quos numquam valeas ſanare; dantur quos non ſanatos, aut curatos potius & tentatos, umquam fuiſſe longe fuerat conſultius. Quare non indignum putavi illud de Oedemate argumentum, quod pro ſpecimine inaugurali publice edendo excuterem. Si benevolo Lectori minus*

ſatis.

ſatisſacere ratiocinia noſtra, aut plane deficere & aberrare viſa fuerint: excuſationem communis ſors hominum parabit; graviorem autem reprehenſionem pro me deprecabitur venerandus medicinæ parens, qui ſe hominem hac maxime ingenua profeſſione teſtari voluit: Operoſum eſt ita exacte condiſcere, ut parum in alterutram partem delinquas, quanquam ego etiam eum medicum vehementer laudarim, qui parum delinquat. Certitudinem autem exactam raro videre contingit. *DEUM autem, bonorum omnium auctorem veneror, velit ſingulorum veritatem in diſciplina ſalutari quærentium, & ad ſublevandas hominum miſerias efficaces medicinas inveſtigantium, ſtudia illis ſucceſſibus beare, quæ in ampliſſimum artis incrementum proficiant.*



 §. I. De

§. I.

DE Oedemate acturis in nominis evolutione hærere aliquantisper opus non esset, nisi & ipsum illud vocabulum a quibusdam medicinæ auctoribus diverso significatu adhibitum reperiremus, & e nostra re præcipue fore arbitraremur, si in ipso limine clare distincteque propositum fuerit, quid in præsenti tractatione intellectum velimus.

§. II.

Est autem vocabulum hoc, quantum est, Græcum; sed in ipsa Græcorum medicorum schola non unius ejusdemque valoris. Hippocrati, illi medicinæ Græcanicæ parenti, &, ut Galenus testatur, veterum plurimis, vox οἴδημα, in universum designat omnem tumorem, sive is cum rubore & dolore conjunctus, sive sine dolore fuerit mollis & prementi digito cedens. Eodem fere modo apud illos valuit ejusdem originis vocabulum οἶδος. Sed tam late patentem vocabuli usum contraxerunt medici Galeni temporibus propiores, qui, quum tumorum species diversas nominibus peculiaribus insignirent, œdematis nomen proprium fecerunt tumori laxo, indolenti, qui ab impresso digito foveas aliquandiu ostenderet. Loca veterum, quibus dicta comprobentur, abunde suppeditabit *Foesius in œconomia.*

§. III.

Latinorum medicorum ille princeps optimusque bene dicendi magister Cornelius Celsus, ad Hippocratis fere

fere modulum, unico tumoris nomine diversas eorum species complectitur. Unde factum existimo, ut recentiores, qui latine scripserunt, Græcum nomen civitate medica donaverint, quo ambiguos sensus præcaverent. Barbari scriptores *undimiam* crepant, cujus monstrosi nominis auctorem *Castellus* quidem Paracelsum laudat, *Fabricius ab Aquapend.* Avicennam, sed Avicenna Græcum οἴδημα totidem litteris fideliter exhibet: Paracelsum ab hac corruptione liberant longe antiquiores scriptores. Rectius fortasse hanc culpam in barbaros Avicennæ interpretes conjiciemus. Qui vero latine interpretari hanc vocem voluerunt, satis, ut existimamus, apte reddiderunt, *tumorem laxum*, ut in versionibus Pauli Aeginetæ & Aetii Amideni a *Jano Cornario*, interpretum nobilissimo, adornatis videre licet.

§. IV.

Est autem œdema tumor pallidus, indolens, laxus & prementi digito facile cedens, ut scrobiculus aliquantisper remaneat, calore non solum carens, sed etiam frigidulus aut facile frigescens, ab impedito libero progressu sanguinis venosi, aut humiditatis lymphaticæ stagnatione vel extravasatione, originem ducens, & partes præcipue extremas occupans. Facile autem erit ex hac descriptione morbum, de quo agimus, distinguere a tumorum reliquis speciebus: quare, ne longiores præter necessitatem simus, a differentiis istis prolixo sermone exponendis merito abstinemus. Neque video, quid porro opus sit signis, quibus œdema cognoscitur, enarrandis, quum eadem brevi orationi inclusa jam exhibuerimus. Illud autem non incommode addiderimus, subinde occurrere tumores mixtos, quum

v. g.

v. g. ſtatus de reliquo œdematoſus ruborem & calorem mediocrem conjunctos habet, quod maxime accidere ſolet, quando febribus finitis ad alterutrum vel utrumque pedem apoſtaſis fit: de quo œdemate phlegmonode inferius ſeorſim quædam commemorabimus. Sæpe etiam congeſtiones, quæ initio penitus phlegmonodes erant, in ſincerum œdema tranſire obſervatum eſt.

§. V.

Si de cauſa œdematum veteres conſulueris, felices forte primo intuitu videbuntur, qui paucis verbis affectus tam difficilis ætiologiam & generationis adeo etiam modum hoc fere pacto enunciabant: provenit ab humore pituitoſo in aliquam partem influente; quum autem gravatur natura a pituitæ redundantia, inſurgit expultrix facultas ad expellendum, & ita a majoribus vaſis ad minora detrudit pituitoſum humorem, qui, cutis denſitate detentus, colligitur in muſculoſis partibus, & facit tumorem œdematoſum. In hunc modum Galeni tota ſchola philoſophabatur, donec meliori ævo exſtiterunt viri, qui nihil ſignificantia veterum vocabula proſcripſerunt, totamque medicinam melioribus & ex ipſa corporis natura petitis certisque principiis ſuperſtruere cœperunt. Hi vero quum primo ſanguinis circulum inveniſſent, poſtea etiam chyli lymphæque vias, præeuntibus immortalibus viris, *Pecqueto*, *Bartholino*, *Rudbeckio*, *Nuckio*, ceteris, detexiſſent, non ſolum veterum illa de pituita in hoc negotio ſomnia antiquaverunt: verum etiam lymphæ cum ſanguinis circulo connexionem demonſtrarunt, quæ tanta eſt, ut prior illibata & ſalva eſſe nequeat, niſi ſanguis, præſertim venoſus, liberum ſuum & nullo modo impeditum curſum obtineat.

§. VI.

§. VI.

Arctum illud lymphaticæ humiditatis cum sanguine venoso commercium ut accuratius perspiciatur, ex physiologicis doctrinis repetendum est, sanguinem arteriosum a corde ad omnes partes devehi per canales, qui continuo, ramificationibus pluribus a se dimissis, angustiores redduntur, tandemque adeo subtiles evadunt, ut visum fere subterfugiant. Quæ quidem insignis subtilitas facit, ut nondum adeo clarum sit, quid ultimis arteriolarum extremitatibus accidat, utrum immediate ductibus venosis & lymphaticis cohæreant, an vero aliquid glandulosi interveniat, ex quo vasa lympham ferentia emergunt. Sed ad nostrum negotium id quidem parum facit, dummodo illud maneat, quod nullo pacto infringi posse puto, nimirum quicquid vasa lymphatica, in partibus nullum cum vena portæ commercium habentibus, subit, id prius in arteriis fuisse & per has ad partes pervenisse: &, cum ipso sanguine venoso non parum humiditatis lymphaticæ commixtum meare & ad cor reduci.

§. VII.

Apparet igitur id quod in utroque vasorum venosorum & lymphaticorum (abdominalibus quibusdam ut dixi exceptis) systemate fertur, ratione originis suæ, quam communem esse diximus, valde convenire. Restat ut indicemus quomodo intelligendum sit quod asseruimus, sanguinis venosi liberum motum interceptum aut impeditum lymphæ etiam vasa tangere & motum ejus lædere posse: quo declarato simul patebit cur œdematis potissimam causam adscripserimus impedimentis liberi cursus, quem sanguis venosus requirit, si sanitas

B illiba-

illibata conſervari debet. Provocamus autem præcipue ad experimenta ſæpius & a pluribus inſtituta. Si quis enim vivo animali venam aliquam majorem mediocriter conſtringit, idque vinculum per horam relinquit, animadvertet tumorem œdematoſum illam partem occupantem, a qua rami ad conſtrictam venam excurrunt. Noverunt etiam anatomici quantum ad vaſa lymphatica accuratius conſpicienda juventur, ſi in animali nondum emortuo venoſi ſanguinis decurſum, injectis ligaturis, coerceant: aut in nuper enecatis etiam, vena prius conſtricta, flatum per arteriam impellant. Cauſam horum phænomenorum hanc eſſe putamus, quod, dum venæ conſtrictæ nihil amplius admittere poſſunt, per arterias autem continuo novus ſanguis advehitur, illa humiditas lymphalis, quæ ſatis magna quantitate miſcetur venarum cruori, nunc ex arteriolis in lymphatica copioſius influit, eaque in conſpectum clariorem ſiſtit.

§. VIII.

In vivo autem hominis corpore ſimiliter accidere poſſe, immo ſolere, venarum ejusmodi compreſſiones, quæ liberum ſanguinis fluxum ſufflaminent, adeoq; œdema efficiant, nulla de reliquo præſente, aut ad effectum directe aliquid conferente, humorum notabili dyscraſia, quæ vulgo ſola fere accuſatur, ex dicendis porro diſpaleſcet. Et primo quidem commendamus accuratiori meditationi gravidarum exempla, quarum plures, dum uterum gerunt, pedum œdemata incurrere ſolent, quæ, ubi fœtus excluſus eſt, ſponte ſua ceſſant, nec ullam medicinam exſpectant. Si cauſam quærimus tam oborti quam ſublati œdematis, nulla facilior ad concipiendum ſeſe offert, quam venæ cavæ,

inter

inter lumborum vertebras & insigniter dilatatum uterum collocatæ, continua compressio, ut sanguis consveta libertate adsurgere nequeat. Accedit, quod *Vir illustris D. D. Stahl Theoriæ medic. pag. 1211.* commemorat sibi visos esse qui a nimis diuturna tensoria pressione femorum, intercepto ita decente libero refluxu humorum ex inferioribus partibus crurum, quod fit in equitatione diuturna præter modum, imo continua, imprimis super equo lati dorsi, adeoque nimia divaricatione crurum concurrente, œdema pedum originem duxerit. Quis porro harum rerum mediocriter curiosus non observavit homines, quorum vitæ genus postulat ut integros dies stando transigant, quales sunt typographi, tam frequenter œdemate pedum vexari, ut omnino paucissimi eorum sint, qui non per plures annos hoc malum toleraverint. In his vero sanguinis venosi ex inferioribus partibus ascensum difficilem multa reddunt. Et primo quidem ipsa illa species motus, quo corpus erectum servatur, plurium, femoris præsertim, musculorum continuam tensionem postulat, qua tensione venas ipsas comprimi necessarium est: deinde difficultatem non mediocriter auget ascensus sanguinis perpendicularis, qui nulla per vices alternante constrictione, quod in ambulantibus fit, adjuvatur.

§. IX.

Sed nihil æque hanc impediti sanguinis venosi refluxus accusationem, indeque pendentem œdematis contumacis generationem comprobat, quam notabilis ille casus, quem jam exponam. Adolescens viginti circiter annorum grave pedum œdema incurrebat, cui multa auxiliorum genera in cassum adhibebantur. Au-

gebatur indies tumor, donec ſtagnans diutius lympha & continuo affluens cuticulam attollebat, magnasque veſicas aqua plenas, tamquam ambuſta pars eſſet, oſtendebat. Hæ veſicæ totum pedis utriuſque dorſum, uſque ad malleolos, omni cuticula privarunt. Quum enim continuo augeſcerent & chirurgus illas aperiendas cenſuiſſet, perdurante continuo effluxu materiæ, quæ multa lintea brevi tempore tota humiditate perfundebat, nulla ſuccedebat conſolidatio, & cutis exterius concreto quodam quaſi adipoſo obtegebatur, per quod humiditas continuo exſudabat. Quum brevi poſt hæc morte abriperetur miſer homo, & plures, qui illum noverant, medici optarent cauſas iſtius morbi, aliarumque, quæ huc non pertinent, circumſtantiarum cognoſcere, ferro aditus parabatur. Reperti tunc ſunt in omnibus vaſis majoribus, ad cor pertingentibus, inſignes veri polypi, quorum maximus per totam fere longitudinem venæ cavæ extenſus erat. Sed quod rariſſimum & forte alibi non obvium videbitur, erat polypoſum concretum ſatis firmum, craſſum, nullisque laciniis, ut ſunt alii polypi, aut, ſi mavis, pedibus, præditum. Hoc in illo loco, ubi vena cava in ramos iliacos finditur, ſedem firmam in ipſa valvulæ ſatis magnæ pera habebat, nullibi tamen lateribus vel venæ vel valvulæ coaluerat: nam ſine ulla ſeparandi vel abrumpendi neceſſitate ſponte ſequebatur, quum eximeretur. Tanta autem erat ejus magnitudo, ut tantum non penitus æquaret venæ capacitatem; planumque ac certum omnibus intuentibus & conſiderantibus fieret non ſine maxima difficultate ſanguinem, ab inferioribus partibus adſcenſurum, per has anguſtias penetrare potuiſſe.

§. X. Ut

§. X.

Ut itaque aliquis dubitare poſſet, utrum in prius laudatis caſibus gravidarum, & equitationis nimiæ & incommodæ, accuſata compreſſio venarum has magis quam vaſa ipſa lymphatica potuerit afficere, ſicque lymphæ curſum impedire: puto tamen illud, quod de perpetuo ſtandi neceſſitate dictum eſt, clarum; alterum, de polypoſo concreto in venæ cavæ extremo trunco, clarius; clariſſimum demum argumentum fore, quod adductum eſt experimentum ligatæ in vivo animali venæ, quam œdema ſtatim inſequitur: facileque mihi datum iri non vanam eſſe illam œdematis ætiologiam, quæ ab impedimentis & difficultate progresſus ſanguinis in venis deſumitur. Neque tamen excludimus illa impedimenta, quæ lymphæ in ſuis vaſibus decurrenti ſimul viam difficilem reddunt: ſed de venoſi ſanguinis itinere impedito ſermonem habentes, ea differre in proprium locum volumus. Ad illa, de quibus nunc ſermo eſt, impedimenta & difficultates forte non immerito porro referemus ipſam partium atoniam & imbecillitatem, qua fit, ut longis morbis, qui vires valde depaſti ſunt, œdema facillime & fere ſolemniter in extremis, accedant. Fieri illud ſolemniſſime in tabidis & hecticis deſperatis ſolet: maxime autem pectoris hydropi adeo familiare eſt, ut multi inter ſigna hujus morbi œdemata pedum cum difficili reſpiratione juncta retulerint. *vid. Bagliv. in prax. med.* Solent autem plurimi eorum, qui præcordia aquis repleta gerunt, magnos etiam in vaſis circa cor polypos fovere: ubi œdematis duplicem rationem, nimirum polypum in venis majoribus, qui liberum ſanguinis influxum infeſtat, & colluviem in pectore ſeroſam, quæ

 pulmo-

pulmonum plenam expansionem fieri prohibet, adeoque sufficientem sanguini ex vena cava per cor ad pulmones transitum interdicit, omnino cogimur agnoscere: quod ideo monemus, quoniam inventi sunt hydrope pectoris enecati, & pedibus valde tumidi, in quibus exiguos & vix memoratu dignos polypos post mortem invenerunt, qui eorum secuerunt corpora.

§. XI.

Nescio annon ipsam in hominibus vegetis, obesis & fere athleticis ad summum repletis, plethoram pro causa sufficienti agnoscere debeam, ex qua pedum oedomatosi tumores in illis subinde enascantur. Nam quum superoneratæ illorum venæ sanguinem tardius promoveant; unde ad minimum motum corporis difficiliorem anheli suspirant & delassari videntur; quod signum est sanguinem ipsorum præ nimia copia ad pulmones stagnare: sub ipsa stagnatione hac majorem tenuioris partis per arterias allati sanguinis copiam lymphatica vasa subire necesse est. In his vero inclusa, dum jam superoneratæ venæ lympham suis locis influxuram parcius & difficilius admittunt: fieri non potest, quin stagnatio lymphæ sese tumore partium tandem manifestet. Novimus virum ita constitutum, quem, cum cetera rectissime valeret, pedum oedema, non magnum quidem aut valde pertinax, sed quod noctu fere disparebat, interdiu redibat, corripuit: huic nihil æque profuit, quam plethoram imminuere & vitæ genus mutare; isque, contracto jam matrimonio, a pristino tumore liberrimus vivit. Alia vero est conditio obesorum, qui per se valde phlegmaticæ constitutionis & senio vicini sunt: in quibus frequentius hoc

malum

malum ipsius lymphæ vitio accidere solet, nec tam facile corrigi potest.

§. XII.

Hactenus de illa œdematis causa egimus, quæ in sanguinis venosi minus libero decursu contineri nobis visa est. Nec vero plane intempestivum fuerit hoc loco meminisse illius novæ sententiæ, quam Monspeliensis quondam Professor notissimus, D. D. *Raymundus Vieussens*, primo proposuit, & ipsius gener D. D. *Antonius Deidier*, ibidem scholæ medicæ Doctor celeberrimus, propagavit. His itaque viris visum est non solum ab arteriis vasa lymphatica oriri, verum etiam a venis. Argumenta, quibus posterior nititur, Cl. *Mangetus in theatr. an. P. I. pag. 205.* refert; quoniam autem illud, quod fortissimum videtur, a secretione lymphæ in hepate, adeoque a vena portæ, quæ in multis a vena cava differt, petitur: idque de cerebro desumtum petitionis principii non immerito accusatur: maluimus cum Cl. *Mangeto* ἐπέχειν, quam opinionem nostræ sententiæ insigni modo faventem, antequam liquidissimis probationibus suffulciatur, arripere, & in ea præsidium collocare.

§. XIII.

Inter causas œdematis in descriptione superius facta secundo loco accusavimus ipsius lymphæ stagnationem, vel adeo etiam extravasationem: de quo nobis deinceps erit dispiciendum. Certum autem est, lympham ferri in ductibus subtilissimis, crebris valvulis, ad progressionem ejus facilitandum, instructis: qui quidem ductus præter valvulosum, magni certe æstimandum, nullum aliud motus progressivi adjumentum habent,

bent, quam illud, quod partium, quas illa vasa trajiciunt, compressio & motus, & ex minoribus vasculis in majora confluens anterioremque premens lymphæ copia, suppeditare possunt. Istud enim, quod ab arteriarum vicinitate promittitur, adeo non est perpetuum, ut vix in alia vasa lymphatica quam unum ductum thoracicum, arteriæ magnæ in thoracis bona parte adjectum, quadrare possit: quum autopsia utrumque doceat, & vasa lymphatica potius venas quam arterias in corpore consectari, & quod, præsertim in inferioribus artubus, binæ venæ adsurgant, ubi unica arteria descendit, ut vir Illustris *Frid. Hoffmannus* passim in scriptis suis & prælectionibus primus, si recte memini, attentæ considerationi commendavit. Possunt autem lymphæ cursum immediate simul difficilem reddere, quæ superius de uteri in gravidis expansione, & venæ cavæ, vel iliacorum etiam vasorum, pressione, diximus. Illa enim lymphatica vasa, quæ ab artubus inferioribus ad cisternam lumbarem decurrunt, illum occupant sane situm, ut premi illa, ab uteri valde expansi, & intestini crassi mole incumbente, necessarium sit: quod cuique partium illarum naturalem situm & conditiones cogitanti manifestum fieri debet. Quare vero superius venarum potius, quam lymphaticorum vasorum rationem habuerimus, causa hæc est, quoniam in vasibus lymphaticis brevius intervallum, quod valvulæ crebræ relinquunt, & lymphæ ex inferioribus scaturiginibus sursum pressæ, immo ipso suo successu prementis vis, ipsorum denique lymphaticorum longe minor, quam venosorum ductuum, diameter minorem adscensus difficultatem portendit, majoremque spem facit, ut angustias oblatas, si non promtissime, qualitercunque

tamen

tamen superet atque eluctetur: adeoque ejus, quod magis impeditum est, potiorem rationem haberi suadet. Idem esto etiam de femorum pressione & extensione in immodice diuturna equitatione judicium. Adeoque consequitur nos illa, quæ de causali nexu œdematis cum impeditius progrediente sanguine venoso diximus, sic intelligere, ut non excludant, quæcunque in eodem causalitatis ordine ad ipsa vasa lymphatica recte applicari possunt.

§. XIV.

Ipsa autem lympha privatim ad œdema producendum fovendumque concurrit, quando illa spissescentiam mucidam ex quacunque causa acquisivit. Inter illas causas sæpe præsentissimum effectum edit frigus, maxime humidum, corpori antea bene calenti simul ac semel admissum. Ita mihi notum est exemplum bajuli, quod ab *Excell. D. D. Schulzio* relatum habeo, qui, cum hiberna pluvia tempestate circa seram vesperam conclavi probe calefacto inclusus sedisset, & cum sodalibus probe etiam potasset, subito evocabatur ad aliquem sella portatili domum referendum. Quum vero, ut fieri aliquando solet, longiuscule in tam frigido & humido aere exspectare deberet, donec illi, ad quem vocatus fuerat, sellam conscendere placeret: factum est, ut totum corpus valde refrigeraretur, statimque gravitatem ejus persentiret. Ad suos redux præter modum calens conclave cupide subit & genio indulget. Postero die mirum erat, quantus tumor totum ejus corpus invaserat, ut vix a familiaribus agnosceretur. Alius innotuit dives non mediocri territorio præfectus, qui, cum autumnali tempore ad venandum prodire constituisset, summo mane surrexerat, &

chocoladæ potu, ſpirituoſorumque liberaliori hauſtu intus ſeſe, ut putaverat, belle calefecerat. Prodit equo vectus, nubilo & frigido cœlo, quod mox cœpit pluvias copioſas profundere, noſtrumque cum ſuis comitibus large madefecit. Domum redit neſcio quam larga præda dives, ſed corporis univerſi habitu tam auctus, ut vix ipſum ſeſe eundem, qui exiverat, putaret: domi etiam magis intumebat. Convenit uterque caſus non ſolum cauſarum, verum etiam effectus morboſi ratione. Uterque blando calore & humidis copioſe aſſumtis ſanguinem circulantem intenſius commoverat: uterque prodiit calente corpore cum ventriculo & inteſtinis adhuc incluſa eſſent, quæ ad humorum circulantium conſortium feſtinabant. Excipiebantur humida frigida tempeſtate, corpore interea vel penitus quieſcente ad notabile tempus, vel leviter tantum commoto, ut noxis a frigore tamen non valeret reſiſtere. Fieri itaque non potuit, quin humores ad circumferentiam corporis antea invitati, conſtrictione illa, quam frigus inducit partibus ſolidis, in motu libero turbarentur, et, quod ab eadem fit cauſa, lenteſcerent: notum enim eſt, gelatinoſa fluida calore attenuari, frigore vero lenteſcere. Id quum primo in cutis vaſculis, incredibili modo ſubtilibus, factum fuiſſet: ſimulque in tota ſuperficie corporis accidiſſet: non mirum eſt, ſubſequutos humores, per circulationem ab interioribus adhuc calentibus partibus adpulſos ad has partes ſtagnantes, ſimul in communionem ejusdem ſtagnationis abreptos, vaſa inſigni modo inflaſſe, tumoremque œdematoſum in univerſo habitu externo induxiſſe. Quod in his per univerſum corporis habitum accidit, id pluribus a frigido humido, certas partes præ reliquis magis lædente, evenire toto

die

die videmus. Innuimus autem illos, qui nudis pedibus in aqua diutius ſtare & crura profundius madefacere debent. Inprimis autem lædi hac ratione videmus feminas, ſi hunc errorem illo tempore admiſerint, quo vel fluit menſtruus ſanguis, vel adhuc in motu eſt: unde non paucæ pulmoneos pedes contraxerunt.

§. XV.

Ipſa etiam lymphæ conſiſtentia, ſi per varia diætæ vitia, præſertim craſſiorem victum, ſpiſſior & glutinoſior facta eſt, ſi non ſola inducere valet œdemata, tamen diſpoſitionem ad hoc vitium ſuſcipiendum adfert, ut deinde aliæ cauſæ concurrentes effectum hunc facilius producant. Ita memini me plures vidiſſe inter litterarum ſtudioſos, quibus fortunæ ad commode vivendum votis non reſpondebant, juvenes ſatis de reliquo vegetos, & a phlegmatici temperamenti accuſatione remotos, quum victu craſſo uterentur, & præterea, metu hypochondriaci mali, ſatius putarent, ſi ad pulpitum ſtantes potius, quam ad menſam ſedentes operam litteris navarent, totisque diebus vel noctibus id facerent, contumacia pedum œdemata contraxiſſe: quorum nonnullis, ſcabie humida superveniente, ulcerationes fœdæ & manantes in tibiis tamdiu permanſerunt, donec meliori fortuna adfulgente miſerum vitæ genus mutare licuit.

§. XVI.

Apud Excell. D. D. *Zwingerum* in *theatr. pr. med.* hæc verba leguntur: *ipſa vaſa lymphatica œdematum ſedes exiſtunt — quando lympha a ſanguine ſecreta ſtatim lenta ac viſcida evadit, dum mobiliores aquoſæ particulæ*

ticulæ reliquas, cum quibus sunt laxius unitæ, præcurrunt, illasque dein viscidiores post se relinquunt: hæ vero hic sensim magis aggestæ tubulos obstruunt; obstructi tubuli plures paulatim magis extenduntur, ac ita denique partem in tumorem attollunt œdematosum. Quibus quidem exponit modum, qui ipsi visus fuit, qua ratione lympha jam in vasibus hærens lentescat. Difficile forte aliquibus videbitur ad concipiendum, qui fiat, ut humor omnium in corpore maxime homogeneus, dum hæret in vasis, ita mutari possit, ut mobiliores aquosæ particulæ reliquas præcurrant, aliquæ viscidiores remaneant: sed ad τὸ ὅτι hujus rei confirmandum succurrit, quod in Excell. D. D. *Zelleri* elegantissima dissertatione *de vasor. lymphat. administrat.* legimus, ipsi aliquoties visas esse in vasibus majoribus hærentes particulas satis notabiles, gelatinæ instar spissioris, quæ colore etiam a reliqua lympha diaphana distingui poterant. Idem mihi in cane majori gravida, partuique vicina, videre licuit, quum ramum insignem lymphaticum, qui e regione hypogastrica abdomen petebat, & per ipsum illud diverticulum peritonæi, quod Nuckius describit, intrabat, diligentius scrutaremur. Et quamvis non minus Exc. *Zellero* quam nobis contigerit, ut post aliquam moram, ab accedente reliqua lympha, tanquam glacies in aqua tepida, dissolveretur: sufficit tamen ad comprobandum fieri posse & solere, ut subinde particulæ quædam lymphæ in vasibus subsistant, & spissescant. Quumque canis, de qua diximus, juvenis & sana esset, forte etiam animalia, in quibus Exc. *Zellerus* observationem instituit, sana fuerint: magis vero simile fit in subjectis morbidis id eo frequentius ac facilius accidere.

§. XVII.

§. XVII.

Diximus de lympha ex causa viarum minus expeditarum, propriæve lentescentiæ culpa, stagnante & tumores inducente. Nunc superest, ut dispiciamus, quid ex lymphæ longa stagnatione per se metuendum sit: quo pacto œdema in suo principio sincerum possit pejus & se ipso gravius reddi: & denique quid lymphæ insuper vitiosa acri vel alia salina qualitate imbutæ corruptæque accidat. Et sane experientiæ consonum est, quo sunt diuturniora œdemata, eo difficilius curari, quum recentibus adhibitæ commodæ medicinæ felicem sæpe finem consequantur. Causam hujus phænomeni putamus esse insignem vasorum ipsorum dilatationem, quæ ubi diu duravit, ipsius conformationis vitium inducit, ut etiam expulsa dein optimo modo lympha, quum ad naturalem debitamque angustiam non redeant vasa, brevi tempore interjecto eadem iterum pristino ritu impleat. Ad hanc rationem ineundam ducunt nos varia, quæ in aliis casibus simili modo sunt observata. Sic ureteres, per quos frequentius calculi majusculi a renibus ad vesicam descenderunt, post mortem sæpe insigni modo ampliati visi sunt: sic bibonum ventriculi valde capaces fiunt, & rugas pauciores, quam qui sobrii vixerunt, secantibus offerunt: sic alia in corpore humano ampliora reddi, si sæpe multumque dilatentur, certum est. Id vero si fit in meatibus & cavitatibus tantum per crebra intervalla sæpius expansis, quid non fiet in canalibus, continua stagnantis lymphæ præsentia longo tempore, imo mensibus & annis, distentis? Sed præter hæc fieri vix potest, ut lympha diu stagnans in eadem bonitate permaneat, nec lentorem contrahat. Quumque depurgatio,

quæ promte circulanti & per colatoria glandularum ſæpe trajicienti accedit, ſub hoc tardiori & impeditiori progreſſu multum detrimenti capiat, oportet illam tandem ſe ipſa pejorem & cum tempore talem evadere, quæ cum lentore etiam acredinem & ſalinas rodentes qualitates acquirat & poſſideat.

§. XVIII.

Hæc vero corruptio, de qua mox diximus, foveri etiam & augeri poteſt ab victu in genere quidem craſſiori, ſeorſim vero ab adſumtis ſalitis, fumo induratis, marinis, nec non acrioribus aromaticis, & potulentis craſſioribus. Hujus generis diætetica peccata ſimplex œdema poſſunt in ſcorbuticum transmutare, quod quidem doloribus noctu ſenſibilioribus ſtipatum eſt: quale in regionibus ſeptentrionalibus mari propioribus obſervatur, quam apud nos quidem, frequentius. Confer. *Sev. Eugalenum de Scorbuto Obſerv. XLIII.* Sed & illa œdemata ad exulcerationes valde proclivia; hæ vero conſolidationi adeo refractaria eſſe ſolent, ut omnis labor irritus cadat. Vidimus ejusmodi ſtatum in tenuioris ſortis homine, qui per longum tempus alterum pedem inſigniter tumidum circumferebat, mercenariamque operam qualitercunque præſtabat hortis colendis. Quod vero magis magisque ad labores ineptus reddebatur, tandemque cum laboribus mercede, &, quod preſſo pede ſequebatur, victu neceſſario carebat, accedens mœror animi, victus incommodus & vita plane ſedentaria miſerum hominem miſeriorem reddebant. Nam circa genu exulcerabatur tumor, fœdiſſimumque adſpectum magna, continuoque effluxu fœtidi ichoris madens plaga præbebat. Et quamvis

totus

totus usque ad femoris principium supremum tumens pes colore albus esset, semper frigeret, foveas ab impresso digito ubique relinqueret: sicque œdematis omnia signa præberet: ultimis tamen annis sæpe de insigni dolore, non tam tensivo quam rodente, conquerebatur, qui augebatur, si vel acida vel acriora salsaque adsumsisset: noctu autem maxime sæviebat, ut miser homo sero exoptaret pedis inutilis amputationem, quam ante plures annos, quum tumor nondum nimis alte adscendisset, & reliqua valetudo minus corrupta esset, reformidaverat sæpius oblatam.

§. XIX.

Optandum esset, ut multi tumores ejusmodi œdematosos anatomico cultro rimati essent, nobisque consignassent, quid in illis repererint. Vnam reperimus talem sectionem in *Ephemerid. Acad. N. C. Dec. III. Ann. 2. obs. 155.* quæ utinam longior esset. Meminit autem pedis usque ad genua tumidi, qui amputatus sexaginta libras pendebat, materiaque gelatinæ pedum vitulinorum simili repletus fuerat. Hæc vero an in vasibus & membranis inclusa fuerit, an vero extravasata in interstitiis hæserit, non intelligas clarissime. Videas autem auctores plures extravasationem lymphæ in œdemate accusare. Supra laudatus Exc. *Zwingerus* his verbis mentionem ejus facit: *Quando stagnans lympha vel nimia sua quantitate fortius distentos tubulos rumpit, vel acquisita quadam acrimonia erosos aperit, tum lympha extravasatur, atque inter quascunque circumstantes membranas congesta tumores gignit aquosos, qui in cute extrema sub vesicarum nomine & forma comparent.* Vesicarum talium in œdematosi pedis superficie

ficie enatarum exemplum ſupra §. *IX.* adduximus. In hydropicis œdemate accedente non rarum eſt cutim fiſſuras agere, multumque ſeri inde effluere: utrum vero etiam viſi ſint tumores aquoſi in interioribus œdematoſorum artuum humiditate veſicis propriis incluſa: ejus quidem rei exempla nondum nobis obtigerunt: adeoque de ruptura vaſorum lymphaticorum tam facile et temere hic admittenda hæremus dubii. In quo quidem magis nos confirmat inuſitata & incredibilis vaſorum lymphaticorum expanſio, quæ hydatidas in hydrope veſiculari conſtituit: de quibus anatomicus dexterrimus *Ant. Nuckius in adenographia cur. p. m. 124. ſeqq.* plura exempla affert. Et ut magis dubitemus de frequentia hujus eventus, facit ratio, quod in artubus cutis ſatis denſa, quæ illos ambit & coarctat, ſimul impedire poſſit in ſe quidem ſubtilium ductuum tantam expanſionem, quæ crepaturam inducit: quod minus in abdomine vel thorace accidit, ubi lymphatica per ipſam viſcerum ſuperficiem, aut inter ſubtiliſſimas tunicas decurrunt. Sed, ut diximus, propter obſervationum certarum & plenarum inopiam, dubii hæc ſcribimus, paratique ad ſententiam mutandam, quamprimum meliora edocti fuerimus.

§. XX.

Hactenus dicta de œdemate ex lymphæ privato vitio, pro tempore & ſcopo noſtro, ſufficiant. Supereſt, ut reliquas cauſas ſtrictius exponamus. Multi auctores medicinæ obſervarunt, poſt vulnera graviora, in quibus ſanguinis magna jactura facta eſt, œdemata ſequi, ſæpe etiam hydropem ſequutum eſſe. Supponimus magnam ſanguinis profuſionem. Ab ea autem

vaſorum

vasorum plurium inanitionem sequi, quæ longo tempore, dum sanguis perditus instauratur, ad minimum imperfectam eorum expansionem & dilatationem efficit, in propatulo est. Sub hoc autem statu plurium excretionum successus debitos sufflaminari, ipsamque humorum attenuationem, quæ fit, quando per proportionate angustos meatus transprimuntur: itemque necessariam incalescentiam minui, ex physiologicis principiis hic ostendere velle, forte nimis tædiosum & prolixum esset. Sufficit verbo dicere, omni respectu vitiari sub his circumstantiis humorum vitalium debitas conditiones, ut non mirum sit, si spissescentia, tum vero etiam atonia partium, difficilem adscensum ab artubus faciat: immo labem etiam aliis visceribus communicet, hydropisque genesin inducat. Quomodo autem intelligendus sit *Hippocrates Aphor. V, 65. 66.* qui malum magnum pronunciat, si vulnera sine tumore sint: & utrum Heurnius aliique cum Galeno recte exponant hunc locum de œdematoso tumore, non vacat hoc loco multis exponere. Videtur tamen Latinus ille Hippocrates, *Celsus, lib. V, 26.* rectius hunc textum accipere de congestione phlegmonode, quando in hunc sensum scribit: *nimis intumescere vulnus, periculosum: nihil intumescere periculosissimum est. Illud indicium magnæ inflammationis, hoc emortui corporis est.* Ejusmodi autem mediocres, quæ Celso probantur, tumores indole sua potissimum sanguineos, occasione vulnerum oriri, non rite autem tractatos œdemati locum facere, jam supra laudatus *Stahlius in theor. med. p. 1211. 1212.* confirmat.

§. XXI.

Scabies, præſertim humida & copioſe ſuppuraſcens, quemadmodum ratione ſuæ originis debetur lymphaticæ humiditatis ſtaſi & corruptioni: ita non mirum eſt, ſi illa raro ſine notabili œdemate artuum viſitur, minus autem mirum, ſi per intempeſtive adhibita adſtringentia retropulſa tumores etiam ſubinde majores inducit. Et profecto leviſſimum hoc damnum æſtimari debet: œdemate enim præſente infauſta alia & ſontica mala non ſunt tantopere extimeſcenda: hoc autem vel ſponte ceſſante, vel ulterius repulſo anguſtiæ præcordiorum, cardialgiæ, aſthmata, ſæpe convulſiones & epilepſiæ, catarrhi ſuffocativi, febres, malum hypochondriacum, immo mentis emotiones & exanthematum in interioribus partibus ulceroſus proventus, unde poſtea viſcera naturaliter diviſa inter ſe coaleſcunt, (qualem caſum D. D. *Schulze Biblioth. obſervationum noviſſimæ Sect. II.* inſeruit) ſubſequi ſolent.

§. XXII.

Poſt febrium intermittentium ablationem non infrequenter pedum œdemata oriuntur, de quorum ortu diſtincte ſtatuendum videtur. Illa enim, quæ febribus diutius toleratis, tandemque vel ceſſantibus vel medicina non adſtrictoria vehementi ſublatis accidunt, juſtius videntur tribui debilitati ſub longo morbo, ubi nutritio deficit, & humores multi quotidie conſumuntur, contractæ, quam vel medicis vel medicinæ adhibitæ. Immo videntur ægroti, quos febris diutius detinet, quando appetitus redire, ipſique, etiam non copioſius, edere incipiunt, facile tumere: febri interim

perma-

permanente. Cujus rei rationem puto quærendam esse partim in humiditatis tenuioris, per febris decursum largius consumtæ, jactura; unde reliquam lympham spissescere opus est: partim in debilitato vel ablato partium justo tono: partim in lymphaticæ humiditatis nova copia, quæ sanguini invehi incipit, sed ob tonum deficientem non satis prompte propellitur. At vero ubi febribus per adstringentia fortiora suppressis succedit, præsertim in subjectis copiosis succis abundantibus, habitu pleniori, nec valde per morbum consumto, & pressiones tensionesque hypochondriorum, cum duritie notabili in hac regione persentiscuntur, vix dubitandum est, hepatis & per mesenterium decurrentium vasorum constrictioni hoc malum deberi.

§. XXIII.

Multum ab his tumoribus post febres intermittentes exorientibus differunt apostases febriles, acutis febribus non infrequenter accidentes. Non enim solum indolem habent ex phlegmone & œdemate mixtam; cum tempore tamen magis ad sinceri œdematis naturam accedentem: verum etiam contumacia differunt, multaque habent, quæ medicum sollicitum debent reddere. De his vero congestionibus sæpius laudatum *Exc. Stahlium in theor. med. p. 1212* juvabit consulere, ubi simul exempla earum descripta leguntur.

§. XXIV.

Progrediendum nunc est ad prognosin œdematum: quæ omnino ex causarum justa æstimatione formanda est. Quum enim morbus non auferatur, nisi ablata morbi causa: facile apparet, illud œdema facilius curari

posse, cujus causa removeri tempestive possit, illo, cujus remotionem causae difficilius impetrare queas: id vero plane sanari umquam non posse, cujus causam numquam possis vincere. Sic gravidarum oedemata, si de reliquo bene valeant, sponte cessura esse partu in lucem feliciter edito, promittere, immo spondere potest medicus: quoniam utero ad minorem molem redacto, compressio iliacorum vasorum sponte cessat. Ita etiam in illis, ubi a causa transitoria quacunque tumor exorsus est, spes non vana est, malum convenientibus remediis tempestive exhibitis posse corrigi. Pertinent huc illi casus, ubi ab refrigeratione humida, contusionibus, itemque scabie retropulsa, tumor inductus est, hac tamen conditione, quam dixi, ut mature subveniatur. Quis autem spondeat illi aliquam curationem, ubi oedema a causa continuo praesenti nec ullo pacto removenda, qualem §. *XI.* attulimus, pendet? Vix etiam homini, continua standi necessitate detento, quamdiu in hoc vitae genere permanet, magnam spem restitutionis licebit ostendere, idque eo minus, quo diutius cum hoc malo conflictatus fuit: praesertim si insuper accedat victus valde crassus. Quod a simplici plethora in hominibus valde repletis, ceterum adhuc vegetis, exoritur, plethora imminuta, praesertim motu corporis laborioso, moderato tamen & continuo, instituto saepe corrigitur. Pejoris autem est ominis, quod senio vicinis & a sanguinis naturalibus excretionibus jam destitutis, accidit: facileque in hydropem abit.

§. XXV.

Quod post febres tertianas aut quartanas succedere solet oedema, si non adfuerit viscerum induratio tactu

sub

ſub hypochondriis exploranda, reliqua autem eupho-ria ſibi conſtet votoque reſpondeat, ſi mediocris etiam fuerit tumor, noctcque decreſcat, ſpem magnam re-linquit poſſe medicamentis vinci. Quæ contrario mo-do ſe habent, ſique febres adſtringentibus profligatæ ſunt, ſpem reſtitutionis tunc faciunt, ſi febris commo-da medicatione prudenter revocata fuerit, aut naturæ beneficio ſponte redierit, tuncque cautiori medicatione profligetur. Id ſi minus ſuccedat, metus eſt hydro-pis ſubſequuturi. Ipſorum autem hydropicorum, he-cticorum, phthiſicorumque œdemata, niſi morbi prin-cipales curati fuerit, fruſtra medicinis, cujuscunque generis ſint, tentaveris. Si aſthmaticis tumor crurum accedit, neutiquam dubitandum eſt de hydrope pecto-ris: metuendaque eſt abdominis etiam lethalis intume-ſcentia hydropica.

§. XXVI.

Quo magis œdema pendet a lymphæ ſpiſſitudine, & privato cujusdam partis vitio deberi cognoſcitur, ſi nondum diuturnus eſt morbus, ſpem reliquam facit: ſi diuturnus & remediis fruſtra tentatus fuerit, illud pro-ſpiciendum eſt, ne reliquæ corporis partes in commu-nionem labis trahantur. Oedemata phlegmonodea ut & ſcorbutica præ reliquis facile retrocedunt, quare ex-ternis cautiſſime debent tractari, quia numquam bo-nis ægroti rebus ſubito concidunt. Eadem, magis ta-men ſcorbutica, ad exulcerationes immo gangræno-dem & ſphaceloſam corruptionem, non raro pervenire obſervatum eſt. Vlcera œdematibus accidentia me-lius eſt non conſolidaſſe, quoniam facile & preſſo pede ſuccedunt anguſtia pectoris, cordis palpitatio, febres mali moris, ſæpe etiam paralyſes & apoplexiæ. Oede-

 mata

mata ſanguinis enormem jacturam ſubſequuta ſæpius in hydropem incurabilem finiuntur.

§. XXVII.

In legitima œdematis curatione ad cauſas, a quibus productum eſt & fovetur, oportere reſpici in propatulo eſt. In gravidis igitur enaſcens œdema ut cauſam habet non niſi ſuo tempore demum naturaliter tollendam: ita medicus, niſi diætetico conſilio, nihil hic valet. Suadere autem utiliter poſſit, quam primum ſe tumor pedum exſerit, ut potius moderatum laborem & corporis motum, quam continuo ſedentarium vitæ genus ſectentur, plethoræque minuendæ provido conſilio ſtudeant. Si ſedent, non nimis humili utantur ſella, decubitum in dorſo vitent, ſed alterutro potius latere decumbant, &, ut alvus debitum ſucceſſum habeat, neque umquam induretur, procurent. A partu, ſi uterus legitime purgetur, œdema ſponte ceſſabit. Vbi a perpetua ſtandi neceſſitate ortum eſt & fovetur malum, indicare illam cauſam, &, ut removeatur, ſi fieri quidem poteſt, hortari debet. Quod quidem conſilium utplurimum eſt irritum in illis, quorum vitæ genus non patitur auſcultare rectis conſiliis. Plures ſane typographi, certe typothetæ, pulmoneos pedes non circumferrent, ſi liceret per tirocinii longos annos ſella uti. Vbi ipſa in ſe plethora inſignis, cum obeſi corporis mole, œdemata producit, nihil æque prodeſt ac naturæ convenientiſſima illa ratio abundantiam ſuccorum laborioſo motu abſtinentiaque conſumendi. Neque V. S. inutilem hoc rerum ſtatu opem adferre poteſt. Non poſſum, quin hoc loco ſingulari encomio prædicem Illuſtris & ſupra laudes noſtras poſiti Viri

D. D.

D. D. Lucæ Schrœckii insignem observationem *Ephem. N. C. Dec. II. Ann. IX. obs. 231.* de adolescente XX. annorum, otioso & vorace, qui magnam corporis obesi sarcinam contraxerat. Huic quum sanguis detraheretur, perfecte albus lactique simillimus visus fuit, nisi quod in fundo vasis paucæ rutili sanguinis reliquiæ visebantur. Quum salutare consilium laborandi sprevisset, & ignaviæ voracitatique ulterius litasset, non multo post in artuum lassitudinem, pedumque tumorem incidit, luridumque toto corpore colorem induit. Hic de labore iterum admonitus cum paruisset, quamvis de victu non multum detractum fuisset, pristinam sanitatem absque remediis recuperavit. Nos supra meminimus viri illustris ex plethora tumere pedibus incipientis, cui reliqua plethoræ minuendæ præsidia & contractum matrimonium integræ valetudini recuperandæ profuerunt.

§. XXVIII.

Si ex lymphæ privato vitio, præcipue vero spissitudine & lentescentia, pendet malum, omne præsidium est in remediis hanc labem auferentibus: prospiciendumque fuerit, utrum in diæta sua aliquid admittant, unde œdema producatur. Victus autem crassior illis, qui necessitate compulsi eo uti debent, facilius dissuadetur, quam ab ipsis mutari potest. Si vero admittere consilia licet, & malum recens sit, facile superabunt recens malum infusa calida viribus vegetabilium antiscorbuticorum & diureticorum leniorum imbuta. Si præparata magis artificialia desiderantur, cum his juncta tinctura metallorum, aut antimonii tartarisata, nec non essentiæ succini, pimpinellæ albæ, petasitidis, vincetoxici, prudenter combinatæ, officio respondebunt.

Ad

Ad primas vias repurgandas ſalia media & alcalica fixa, quæ ſimul diuretica ſunt, ut & abſorbentia: blanda etiam laxantia balſamicis roborantibus juncta, &, ſi malum paulo diutius inſedit, laxantia paulo fortiora, ut extr. panchym. Cr. pil. hydrop. Bontii cum mercurio dulci & extr. ellebori nigri officium facient. Inter eſculenta aromatum, præcipue zingiberis, uſus, & potus maxime per urinam prompte rediens conducent. Incidit memoriæ caſus maxime notabilis, quem a viro fide digniſſimo accepimus: hic autem ſubjicimus, ut cogitent medici cordati & prudentes, quomodo, quod caſu hic ſalutariter accidit, in conſilium verti poſſit aut debeat. Vir XXXX. admodum annorum aliquot annis laboraverat altero pede inſigniter tumido, ut ambitus pedis duplo craſſior eſſet naturali magnitudine. Hic quum coryza laboraret, & domi haberet tincturam bezoardicam, qualem divendunt ſic dicti laborantes Harcynici, in qua multum erat ſpiritus vitrioli, hac copioſius & crebrius uſus erat. Incidit in urinæ copioſiſſimum profluvium, cum ſiti magna junctum, ut nihil a diabete diſtaret. Sub hoc præter omnem ſpem & opinionem tumor pedis diſparuit, imo penitus evanuit, cum plenaria curandi ſalute, poſtquam medicus conſultus laxantibus, cum roborantibus ſtipatis, urinæ illud profluvium in ordinem redegerat.

§. XXIX.

Vbi œdemata tam univerſalia totius corporis, quam certarum partium, ab improvida refrigeratione humida exorta ſunt, opera præcipue danda eſt, ut transſpirationis negotium blandiſſima ratione in integrum reſtituatur & urinæ etiam viæ pandantur. Proderunt

jam

jam laudata infusa cum tincturis commendatis metallorum & antimonii. Sed forte nihil promptius ad auxilium est essentia croci cum spiritu non rectificatissimo, sed mediocriter phlegmatico aliquo, ex tempore parata & largius propinata. Hoc solo remedio intra paucas horas restitutus est pristinæ sanitati, cujus supra meminimus, bajulus toto corpore oedematosus. Obiter hic monemus corrumpere illos divinum remedium, crocum, qui cum valde spirituosis extrahunt menstruis. Habet enim vires in mucilaginoso principio latitantes, quas convenienti menstruo oportet extrahere. Helmontius suum Aroph, quod certo scio inter arcana esse, non destillavit, (quanquam decipiendi caussa hoc significare visus est,) sed longa digestione cum vino Canariensi & mica panis præparavit, & ad usus varios cum insigni fructu adhibuit: de quo quidem hic non est ulterius differendi locus.

§. XXX.

Si virium & toni partium deperditi causa oedemata nascuntur, opera danda est ut vires agroto restituantur, tonusque reddatur. In quo quidem cautissime mercandum est. Nam si post febres intermittentes, quando appetere incipiunt convalescentes, nimis festinaveris, oedemata, quæ exigui per se momenti futura erant, augebis & contumacia reddes. Quare maxime moderatus cibus hoc rerum statu commendandus est, ventriculus autem & intestina vere roborantibus & balsamicis, interpolatis quandoque laxantibus, repurgari & confirmari debent. Exterius bene facit iam antiquum remedium, fasciæ nempe latioris circa partem tumentem moderate adstricta convolutio, ita ut ab extremo partis incipiatur & usque ad tumoris finem in-

 duca-

ducatur. Iidem veteres solebant spongiam ex aceto diluto calide superdare partibus tumentibus & deinde fascia sic deligare ut, quantum fieri posset, æqualis esset compressio: hoc nihil valente per gradus ad fortiora progrediebantur, nimirum aluminosa, aquam calcis vivæ, succum myrti, sal, sulphur & id genus alia, adhibebant, immo nec pinguia oleosa reformidabant: quæ certe magna cautione adhibenda sunt, ne loco salutaris discussionis, quæ placide & successive impetrari debet, tumultuariam & periculi plenam retropulsionem impetremus. Non male consulunt, qui oedematosos artus subinde fovere jubent vapore accensi spiritus vini rectificatissimi: quod qua ratione fieri debeat Excell. *D. Heisterus in Chirurgia* pag. 304. describit. Si vero illa virium & toni amissio coniuncta sit immo inducta a morbo gravi diuturno, hectica, phthisi, hydrope: omnino ab hisce tentaminibus abstinendum est, quoniam ad curationem legitimam plane non pertinent.

§. XXXI.

Si scabies retropulsa tumorem œdematosum produxit, cito subveniendum est remediis lympham seorsim depurantibus & in fluxilitate conservantibus; quo nomine mercurius dulcis ad grana pauciora, quam quæ alvum sollicitare possint, exhibitus laudabilis est. Vel Aethiopem mineralem per plusculos dies ad scrupulum exhibeas, & laboranti lenem, sed continuum motum, pro conservanda transpiratione injungas, propinato simul infuso theiformi ex sarsaparilla, rad. chinæ, scrophulariæ, polypodii & glycyrrhizæ. Promtissimum etiam est ad revocandam efflorescentiam scabiosam, si florum sulphuris quatuor ad sex grana per aliquot continuos dies præbeas: corpus interea sæpe fricari & ad transpirationem dispositum retinere jubeas. Juvabit etiam antimonio diaphoretico absorbentia, &, si febris accendi videatur, nitrum adjicere.

§. XXXII.

§. XXXII.

Inter externa, quæ diſcutiendi fine commendari poſſunt, præcipua ſunt frictiones crebræ cum linteis mediocriter calidis, nec non vapor calidus parti admiſſus ex decoctis vel infuſis herbarum, radicum, & florum, qui ſimul diſcutiendi & roborandi virtute gaudent. Poſſunt etiam ejusmodi decocta cum vino parata parti adfectæ immediate adplicari, vel ſpongiis vel linteis hiſce imbutis. Innuimus maxime chelidonium majus, geranium Robert. fol. bardanæ, ebuli, petaſitid. fl. ſambuci, rad. cucumer. agreſtis, quorum non nulla nude impoſita, recentia tamen, non ſunt contemnendæ virtutis. Emplaſtrum ſaponatum, ſi inter initia adplicetur, bene ſe gerit. Laudem etiam meretur illud emplaſtrum quod *Zwingerus in theatr. prax.* commendat, ex fimi columb. bol. armen, a vnc. j. croci martis aper. vnc. ß. gumm. ammon. galban. ſandar. a drachm. vj. cinnab. factit. vnc. ß. bacc. lauri dr. ij camphor. dr. iß. ceræ & tereb. a. q. ſ.

§. XXXIII.

Singularis ſupereſt quæſtio, quæ in utramque partem a medicis magni nominis agitatur, utrum œdematoſos ad fontium uſum ablegare deceat. Et plerique quidem admittunt uſum thermarum, ſed caute adbibendum. *Wenceſlaus Payerus* thermas Carolinas his verbis commendat *pag.* 26. proſunt *tumori pedum ex permutatione tam acutarum quam chronicarum febrium, -- undimiæ, mollificationi crurum & brachiorum -- omnibus ſpeciebus hydropis in principio.* Ex recentioribus plures eruditi & experientia in ipſis thermis & ad acidulas acquiſita ſuffulti viri, inter quos laudatiſſimus & Excell. D. D. *Fr. Hoffmannus* ſuo jure eminet, non ſolum probat, ſed ſollicite docet modum caute & ad ſalutem his fontibus utendi, ad quem merito ablegamus lectorem benevolum pleniſſime in hac parte edoceri cupidum. Hic tantum monemus numquam uſum externum in hoc caſu ſolum eſſe ſalutarem, ſed præmitti oportere internum, ut, omnibus emunctoriis reſeratis, omnibusque expurgatis viis, perfectiſſima fiat curatio, ſi ex-

E 2 ternus

ternus usus, utpote constringens & roborans, coronidis loco accedat. Si quis acidularum usum præ thermis commodiorem sibi putet, huncque experiri velit, secundum methodum a nobilissimo Anglo, Domino *Slare* societati Regiæ Britannicæ propositam, aquas consultissime biberet. Voluit autem ille, & exemplis comprobavit, non semper necessarium, sæpe periculosum & noxium esse has aquas tanta copia ingurgitare ut ventris magnam purgationem cieant, sufficere in quibusdam mediocrem quantitatem, præsertim prima vice, haurire & excretionem per urinam potissimum exspectare. Hoc pacto præcaveri possunt nimii infarctus, & simul averti metus ne ex œdemate in asciten hydropem fiat transitus.

§. XXXIV.

Tandem etiam quæri non immerito possit annon chirurgiæ hic sit aliquis locus, & in casu tali, ubi membrum unicum, ponamus crus, per plures annos tumet nullique medicinæ locum relinquit; neque tamen malum ulterius promte adsurgit, sed per annos in eodem spacio subsistit & in amplitudine tantum augetur; homo autem de cetero satis bene se habet: annon, inquam, tali statu consultum sit partem inutilem & tantum oneri corporis cedentem, ferro amputare in sana parte? Equidem fateor consultos a me plures chirurgorum libros nihil respondere: neque tamen video quid prohibeat, si omnia, ut in quæstione proposita sunt, sese habeant ad unicam hanc medendi rationem venire, ut homo sibi aliisque molestus in statum tolerabiliorem restituatur. Factum id esse in homine rustico supra §. *XIX.* commemoravimus; sed quis eventus fuerit, an post operationem diu superstes fuerit, & quomodo vixerit & valuerit in ista relatione non est adjectum.

§. XXXV.

Plura instituti ratio non permittit: & sunt hæc fortasse jam justo prolixiora. Lectoris prudentis, veritatem æstimantis & experti, judicio singula subjicio. DEUM autem ut nostris omniumque honestorum virorum conatibus semper faveat, enixe rogo.

Sæpius

SAepius Hippocratem & Celſum Mala ſontica ſpernunt,
Quæ tamen a tergo Terror abeſſe jubet;
Dira Lues Podagræ ſubito Terrore levatur,
Pharmaca contemnens dira Lues Podagræ:
Hæc igitur Terror cum præſtet, SCHRECKIVS Ægrum
Sanandis Morbis Nomen & Omen erit.

Hiſce
Clariſſimo Domino Candidato, de Honoribus feliciter ſuſceptis gratulaturus, optatam ominatur praxin

D. Chriſtophorus Iacobus Treu,
Reipubl. Norimb. Phyſicus Ord.

ES iſt der Medicus recht Frieden=reich zu nennen/
Wann er die Schmerzen ſtillt/ ſo voller Unruh ſind;
Die Stadt hat dieſes Glück auch billig zu erkennen/
Die ihren Medicum von GOtt gegeben findt:
Weil Du nun Friederich und Theodor zu nennen/
So muß auch ſelbſt der Tod/ als Schrecken/ Dich erkennen.

Hiermit wollte ſeine Schuldigkeit bezeugen

D. J. J. Grambß/
Mœno-Francof.

AScensu superas cathedræ fastigia summæ,
O penitus toto corde recepte mihi!
Atque pedum docte perlustras tubera dira:
Quæ nam solvuntur præmia justa tibi?
Gallenus summi nunc pilea præbet honoris
Sedulitate tibi & partæ tuæ Veneri.
Splendescas igitur Patriis virtutibus orbi,
Atque tuis tectis dulcia mella fluant.

Sic

Prænobilissime, nec non eruditionis laude maxime conspicue Domine Candidate, Amice fratris instar dilecte, de singulari eruditionis specimine

gratulabundus

Tibi

summos in arte Medica honores adepturo applaudit

Tuus

sincera mente addictissimus

P. P. Schneider, Theol. Studios.

